



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad VVibbodvm Episcopvm. Vt vna cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice sua mittat. arguit, quod bona Angelbergae diripi non prohibuerit. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

per vos sancta Romana ecclesia fuerit exaltata, atque defensa, vester honor, & gloria hic, & in futuro sine dubio coram Domino multiplicata manebit. Data vt supra.

EPISTOLA CLXXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIBBODVM EPISCOPVM.

Vt vna cum legatis, quos ad Carolomannum mittit, eat, vel aliquem vice sua mittat. arguit, quod bona Angelbergæ diripi non prohibuerit. hortatur vt ea recuperanda curet.

Vvibbodo episcopo.

QVONIAM præ omnibus, qui in his videntur consistere partibus, Deo dilectis sacerdotibus, te vtpote carissimum filium, & fratrem vnanimè specialius diligimus, & pro tanta tuæ sinceritatis deuotione, quam circa nos, & sedem apostolicā habere dignosceris toto mentis affectu amplectimur; & idcirco reuerentiam tuam pio nobis amore coniunctam cupimus apostolica semper benignitate fouere, auctoritate fulcire. Nunc igitur dilectioni tuæ notum esse volumus quia pro tot & tantis calamitatibus, quas, sicut ipse bene cognoscis, assidue patimur, hos præsentis missos nostros direximus per te quasi per quoddam ostium intraturos spirituali filio nostro Carolomanno glorioso regi, cum quibus sane, aut ipse in seruitium sancti Petri alacri mente ire, omnemque nostræ voluntatis causam, & necessitatem apud eundem regem perficere studeas, aut fidelissimum & idoneum a latere tuo virum dirigas, qui vicem tuam in omnibus sagaciter possit explere. Nam tuo consilio, & adiutorio . . . eosdem legatos nostros munias hortamur, quatenus sedis apostolicæ legationem, prout dignum est, & instantis temporis necessitas exigit, Deo propitio, perficere possint. Et quia eos sine tarditate ire, ac reuerti præcepimus, ne vltra tres dies illos penes te retinere procures; sed habito mox consilio quatenus salui & securi ad iam dictum regem proficiscantur, aut nullatenus demorentur. Quod si fortasse ad Carolomannum pro eius corporea infirmitate ire non posse contigerit, ad Carolum regem ipsius germanum eos quocumque mo-

Concil. Tom. 24.

A a

do proficisci facito. Præterea veridico multorum relatu longe lateque resonante didicimus, quod res & possessiones dilectæ ac spiritalis filix nostræ, & sancti Petri commendatæ Angelbergæ imperatricis sint a quibusdam malefactoribus omnimodis deprædatæ, non solum quæ foris extitere in agris & villis, sed etiam quæ intus per venerabilia, & non violanda loca sanctorum monasteriorum repositæ fuerant: pro quo scilicet tam immani scelere, nefandoque piaculo sanctimoniam tuam merito redarguimus. Quoniam sacerdotii tui officium est, male agentes auctoritate diuina corrigere, verbisque salubribus cohibere, ne tacendo tales, proh dolor! imitari potius quam prohibere videaris. Est enim ex hoc pessima fama vniuersum discurrens per orbem, quod dominam quondam, & imperatricem vestram, cui vestram fidem per iusiurandum dedistis, male tractatis, cui pristinum honorem, dignamque reuerentiam semper exhibere debueratis. Nunc itaque pro amore sancti Petri, sub cuius speciali defensione consistit, eam adiuuare non prætermittas, quousque sua omnia quæ iniuste perdidit, * possit. Data vt supra.

* f. des
recupe-
rate

EPISTOLA CLXXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Hortatur vt ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, a qua seductus recesserat, cum sua gente reuertatur.

Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.

QVIA vos omnipotens Deus dono gratuita misericordix suæ, gentemque vestram ad cognitionem sui nominis vocare dignatus est, meminisse debeatis hoc quod

Math. 16. Dominus beato Petro apostolo dixit: *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* cui vos in primordio Christianitatis vestræ ad regendum commisistis, eiusque successoribus ad obediendum. Sed nescio qua ratione ab eius magisterio, calliditate quorundam estis abducti,

Galat. 3. ita vt cum Apostolo dicamus: *Quis vos fascinavit ei non obedire, cui dudum colla summisistis?* aut illis credidistis, vt pace Græcorum loquamur, qui quotidie nouis, & variis